

ARGUMENTUM.

Qui in provincia, civitate, aut castro, seditionem contra Magistratum concitat, & de illo crimine legitimè conviucitur, is pro delicti istius qualitate capite plecti, vel etiam virgis cedi, & relegari perpetuò debet ex eo cum primis loco, in quo tumultum concitavit. Ad quam pœnam definiendam tamen Judices Prudentum consilium, ne cuiquam fiat injuria, prius requirere tenentur.

E X E G E S I S.

**S**editio inde nomen habet, quod in dissensione civium alii ad alios seorsim eant, teste Nonio Marcello in lib. de Republ. & ex eo Anton. Matth. ad lib. 48. ff. c. 2. n. 5. p. 182. Definitur autem, quod sit mobilis vulgi ad excitandum tumultum contra publicam quietem dolosè facta concitatio. Bruneman. ad l. 1. n. 1. C. de seditiosis. fol. 1128. Fit enim seditio propriè inter partes multitudinis, quæ inter se dissentiant. Trentacincqv. lib. 1. Tit. de Verb. Signif. resol. 1. n. 6. p. 245. Seditiosi itaque sunt, qui illicitas congregationes populi cogunt, furtiva conventicula parant, cives & populum universum commotionibus turbant, noxiam & tumultuarium factionem contra quietem & publicam disciplinam dolosè concitant. Dico: *illicitas*, quales sunt, quæ à Jure reprobantur; Omnes siquidem illicitæ congregationes sunt prohibitæ. l. 15. C. de Episc. & Cleric. Gilhaus. ad art. pref. fol. 40. Et cap. 2. tit. 6. n. 2. Arbor. Crimin. fol. 29.

II. *Pœna Seditiois.* Ad pœnam, quæ in seditiosos constituta est, explicandam, præmittere oportet requisita, quæ desiderantur in seditioso: (1) *Propositum dolosum*, seu mala intentio subditos erga Magistratum concitandi; quod supponit scientiam & voluntatem, nec non deliberationem seditiosi, quo pacto ipse possit tumultum in populo excitare. (2) *Concitatio populi seu vulgi*, quo nomine continentur subditi, qui facile solent commoveri, præcipuè si speciosa argumenta accedant. Vulgo enim nec rationis nec judicii constantia; unde etiam vel aurâ mobilius flectitur in diversas partes. (3.) *Concitatio adversus Magistratum*, ut hoc loco discrimen fiat inter crimen læsæ Majestatis, & Seditioem. Nam si concitatio istæ turbulenta fit adversus summum Principem, tum factum istud incidit in crimen læsæ Majestatis: Quod si verò populus ad tumultum adversus Magistratum commovetur, non est crimen læsæ Majestatis, sed Seditio. Est tamen hoc delictum satis atrox, quippe quò tota civitas infici, & ad interitum perduci potest: Quod quoque crimen eò gravius vel exinde censetur, quòd subditi ab obsequio, fide, & juramento